


05 A 773

05

A

773





כעה 27.
Disputatio Theologica

De
RESURRECTIONE
JESU CHRISTI EJUSQUE
Antecedentibus ex dicto Pau-
lino I. Cor. 15. v. 3. & 4.

Quam
Divinâ adjuvante gratiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi, Clarissimi atq;
Excellentissimi*

DN. WILHELMI LYSERI,
SS. Theol. Doct. & Professoris Publ. Alumnorum
Electoralium Ephori, Dn. Patroni, Præceptoris & Pro-
motoris sui omni animi submissione ata-
tè m colendi.

placido examini subicit


M. ENOCH HIMMEL.

d. 5. Maj. horis pomeridianis.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDCXXXVI.



V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo,
Clarissimo atq; Excellentissimo*

DN. JOHANNI GERHARDO

Theologo meritis in Ecclesiam Christi spe-
ctatissimo, Academiae Jenensis Professore celeberrimo & meritissimo &c.

*Dn. meo Patrono, Promotori, Praeceptoris atq;
Mecænatis, filiali observantia æ viternum co-
lendo & honorando.*

hasce Studij mei Theologici primitias

*In testimonium debite gratitu-
dinis, filialis observantiae & pietatis
submissè atq; reverenter.*

offerro atq; consecro

M. ENOCH HIMMEL

A. & Resp.



05 A 773

LA OBIITUS TYPOT JOHANNIS R. N. N. B. P.
A. N. O. M. D. C. C. X. X. V. I. I.





Cum DEO.

Memor esto Jesum Christum resurrexisse à mortuis! *Sic electum illud vas Apostolus Paulus suum discipulum Timotheum, gravissime & suavissime alloquitur 2. Tim. 2. 8. Eique Resurrectionem Salvatoris serio inculcat: eodem modo omnibus adhuc memoriam nostri triumphatoris & ducis vitæ resurrectionem revocamus, dicentes: Memores estote Jesum Christum resurrexisse à mortuis! Dulcis memoria natiuitatis Christi: gravis at tamen etiam suavis memoria Passionis Christi: at longe dulcior, longe gravior, & suavior est memoria triumphæ, quem noster Dux in ipso resurrectionis momento egit: Siquidem ex ista consideratione nobis apparet peccati & scelerum, nostrorum atrocitas, Diaboli, peccati, & mortis potestas, exinde etiam in quibusvis rebus adversis fulcrum omnis spei & resurrectionis immotissimum erigere possumus: Resonet ergo, ut verba Petri Chrysologi mei juris faciam, semper in ore nostro Christi resurrectio, semper ad mentis nostræ auditum transmittatur, ut mors, quæ hominis semper obsidet sensus cum terrore suo, cum lamentis suis à sensibus nostris effugetur. Memores igitur & nos hac vice erimus Jesu Christi resurrectionis ut, cum de ea hoc præsertim tempore in Ecclesia Christiana agatur, etiam in nostris à negatione Theologicis de illa tractetur: Quem in finem elegimus textum Apostolicum, in quo Resurrectio salvatoris una cum antecedentibus morte*

scil

scil. & sepultura brevissimis exponitur, qui habetur 1. Cor. 15. v. 3. & 4. Quem textum nos ea methodo quam à nostris accepimus, sub disputationis incudem revocabimus: Et quidem ita: ut 1. Eum Logice & Philologicè examinemus & exponamus. 2. Quæstiones controversas ventilemus 3. Orthodoxiam confirmemus. 4. Ab Hæreticorum depravatione & contradictione apparente vindicemus. 5. Hæreses notemus. 6. Aphorismos quosdam practicos addamus. Et denique 7. Typis & Allegorijs illustremus. Ita pro ingenio nostri tenuitate dictum hoc considerabimus: Faxit Deus Misericordiarum Pater, per Filium ejus unigenitum & mediatorem nostrum Jesum Christum qui pro peccatis mortuus ac resurrexit, sicq. semet ipsum dedit ἀντίδοτον ut hic noster labor ad nominis sui gloriam, & veritatis celestis illustrationem ac propagationem unice dirigatur & cedat, Amen.

De Resurrectione Christi

Dictum

I. Cor. cap. 15.

3. παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις ὁ καὶ παρέλαβον, ὅτι χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, κατὰ τὰς γραφάς.

4. καὶ ὅτι ἐταφῆ καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς.

3. Tradidi enim vobis imprimis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus pro peccatis nostris secundum scripturas. 4. Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertiâ die secundum scripturas.

Analysis Logico-Philologica.

I. Quum Apostolus Paulus certior factus, Corinthios suos etiam jam nomen Christo dederant, plus satis humanæ Philosophiæ addictos esse, & ob id. negare, quod Christiana fides docet, nempe mortuos aliquando resurrecturos: mederi volens tanto malo, gravi oratione de ea differit hoc toto capite XV. primæ ad Cor. multipliciter eam probans atque confirmans, modum-
que

que ejus exponens: Primarium verò fundamentum sumit ex resurrectione Christi, quam hoc in loco brevissimis describit, ejusque in subsequens veritatem confirmat: Hac vice tantum de ijs verbis quibus resurrectio Christi describitur.

II. Ubi tria in hoc dicto Apostolico veniunt notanda. I. *Resurrectionis subjectum, quod Christus.* II. *Antecedentia que duplicia* 1. *Mors illustrata. 1. Fine seu Effecto. 2. Testimonio divino.* 2. *Sepultura.* III. *Ipsa Resurrectio quam illustrat* 1. *Adjuncto temporis,* 2. *Testimonio scripturæ.*

III. *Subjectum* habetur in his verbis *Tradidi enim in primis vobis, quod accepi, quoniam Christus &c.* Igitur Christus cujus resurrectio hic describitur.

παρέδωκα Syrus תרשן א הו quod in Pehal ex spirare *Marc. 15. 37.* consentire *Gal. 5. 25.* in Pahel finire comple- re, perficere consummare. In Aphel verò tradere, ut & h. l. Variè vocabulū hoc in Scripturis S. usurpatur. Vel in bonam vel in malam partem potissimū: *In malam partem sumptum* significat 1. Exitium vel calamitatem seu exitialem traditionem ut: *1. Reg. 14. 16.* Sic c. 2. *Ephes. 2.* Proditionem ut de juda *Matth. cap. 26. 21. 24.* *In bonam partem* quando accipitur tunc significat 1. Vel per- mittere ut *Pf. 140. 9.* *Rom. 1. 24.* 2. Prorsus se dedere germanicè *sich ganz vnd gar ergeben Eph. 4. 19. 3.* Significat Docere & doctrinam notat, vel divinam vel humanam. De traditione humana quando in Scriptura sermo est, tunc plerumque in pejo- rem partem ac cum reprehensione earum, ut noxiarum ac im- piarum usurpatur ut *Matth. 15. 2. 3. 6.* *Gal. 1. 14.* *Col. 2. 8.* Divina traditio, est illa, doctrina quæ à Sp. S. profecta & in Scriptura Sacra fundata: Et hanc traditionem Christus & Apostoli corri- gentes & emendantes doctrinæ corruptelam citant, nusquam verò, ut Papicolæ, traditiones Patrum, Atq; hæc ultima signi- ficatio est hujus loci: quod apparet ex subsequens ubi Apo- stolus docet se suam doctrinam ex scriptura sumisse: in qua si- gnificatione etiam sumitur *1. Cor. 11. 2. 23. 2.* *Thes. 2. 15. c. 3. 6.*

Ἐν πρώτοις In primis, i. e. inter prima & præcipua mei Ev- angelij Capita, Lutherus zusörderst.

Ὁ καὶ παρέλαβον quod accepi, sc. à Christo Domino quemad-

quemadmodum supra & cap. 11. 23. de eucharistiâ & generaliter
de Evangelio Gal. 1. 12.

Χριστός Syrus ΝΥΧΤΙ Dicitur Christus *μαρὰ τὸ χριστόν*
ungo, cui Hebræorum *משח* respondet, quod nomen in V. T.
Regibus atq; Sacerdotibus tributum, qui oleo singulariter ad
hunc usum præparato ac destinato ungebantur *Exod. 29. v. 17.*
1. Sam. 16. 13. Et typi erant Veri Christi non oleo externo sed Spi-
ritu S. ungenti *Pf. 45.* ut hoc *Atbanas. Orat. 2. contra Arrianos, Ori-*
genes super Pf. 45. testatur. Intelligitur igitur Christus id esse
quod ex utroq; constat: *Χριστός τὸ συναυφότερον νοεῖται* dicit lau-
datus *Atbanas. Orat. 5. contra Arrian.* Sive appellatio Christi com-
plectitur utramque naturam ungentem Deitatem Filij, & un-
ctam humanam naturam assumptam. Nomen itaq; hoc absq;ne
carne non est intelligendum. Si enim divinitatis proprium
vocabulum esset Christus *διὰ σὰρκα* absque carne: applican-
dum id quoque esset & Patri & Spiritui S. Id *Arban. de sal. ad*
Christ. Sicut è contrario non etiam absque divina natura su-
mendum. Nomen enim hoc directè & *πρωτος* ad officium spe-
ctat, quæ nomina competunt Christo secundum utramq; na-
turam: *δεύτερος* & consequenter ad personam sive ad divinam &
humanam naturam respectum habet: nisi enim Christus in-
unitate personæ esset Deus & homo, non posset esse noster Sal-
vator, nisi & esset homo non potuisset plenitudine Spiritus S.
juxta humanam naturam ungi: Vid. Admodum Reverendus &
Excellentiss. Theologus Dn. *D. Gerbard.* Præceptor & fautor
meus Patris instar venerandus. *S. 26. Exeg. Loc. 4. p. 1135.*

IV. *Subiectum* itaque in nostro dicto Apostolico est Æter-
nus Dei Filius, ipse Deus benedictus in secula, particeps factus
(excepto peccato) Carnis & Sanguinis similiter sicut hi pueri
Ebr. 2. 14. Distinguendum tamen hic, inter principium *Quod*,
quod ipse Christus Deus & homo: & principium *Quo*, quod est
humana ipsius natura, Christus enim pro nobis ut passus, ita
mortuus in carne *1. Pet. 4. 1.* confer *cap. 3. 18.* Et hæcenus de
subiecto, jam ad Resurrectionis Antecedentia.

V. Ut declararet Apostolus veritatem resurrectionis Chri-
sti, duo certissima indicia adducit quibus veritatem Resurre-
ctionis

tionis stabilire & confirmare satagit: unum est Mors Christi alterum est subsecuta Sepultura: Singula brevibus considerabimus.

VI. Mortem Christi describit 1. *Fine & effectu*, quæ duo hoc loco coincidunt. 2. *Confirmat testimonio scripturæ.*

Ἀπέθανεν mortuus est: Syrus *MD* quod Ebr. *MD* respondet: Multifariè mori in Scripturis usurpatur, quæ omnia, quia huius loci non sunt omittimus: videri possunt apud Flacium in Clave. Hoc tantum notamus; potissimum in Scriptura duplici modo de Christo usurpari. 1. Latè, sive cum quadam latitudine, quatenus sub hac voce comprehenditur tota passio tum spiritualis tum corporalis, mortem proprie dictam, proximè antegressa. 2. Strictè, quatenus ultima passio mors Christi appellatur. Quando nimirum Spiritus seu anima à corpore fuit separata. Vid. *Dn. D. Nicol. Hunnius* de universalitate meriti Christi c. 2. th 5.

VII. Et hanc mortem strictè dictam h. l. Apostolum intelligere admodum probabile: Quippe voluit Apostolus suis Corinthiis veritatem & certitudinem resurrectionis Christi indice quasi digito demonstrare, itaque h. l. confirmationis E. adducit mortem tanquam necessarium antecedens. Cum nullo tamen litigamus, cui placuerit per mortem, totam passionem Christi intelligere: Siquidem nulli dubitamus Apostolum suis Corinthiis non solum Christum mortuum, sepultum, resuscitatum, sed & passum atque crucifixum, prædicasse. Cui sententiæ & aliquo modo verba subsequentiæ, *pro nostris peccatis*, subvenire queunt.

VIII. Per mortem verò Christi, solutum quidem fuit vinculum unionis naturalis inter corpus & animam, ut patet ex veritate mortis: sed vinculum personalis unionis indissolutum mansit, neq; enim corpus neq; anima Christi à *λόγω* personaliter utrumque in habitante fuit distracta sed utrumq; *αὐτῷ τῷ λόγῳ ἀδιαίρετως, ἀδιασπείτως, καὶ ἀχωρίτως* unitum mansit: Hinc dicit *Bernhard. serm. 150. in parv. serm.* quod immortalis Dei Filius Sepultus fuerit: Et *Damascenus* corpus Christi mortuum negat cadaver fuisse, quod *Beza Act. 2.* facere non erubescit.

IX. Hoc

IX. Hoc mysterium omnem Angelorum & hominum captum excedit, nullus enim finitus intellectus comprehendere potest, quomodo corpus Christi verè mortuum, ac nihilominus in media morte manserit Verbi omnia vivificantis templum, personaliter illi unitum. *Job. 2. 19. Coloss. 2. 9.* Si negatur vel animæ vel corporis cum λόγῳ in morte manens conjunctio, negatur veritas unionis personalis. Sic igitur, afferenda est solutio unionis naturalis corporis & animæ Christi, ut simul afferatur perpetua duratio unionis personalis λόγῳ & animæ, itemque λόγῳ & corporis Christi in ipsa morte nexu indivulso permanens. Vid. *Admodum Reverendus Dn. Doct. Gerhardus Harm. Pass. c. 17. p. 826.*

X. Finis seu effectus mortis Christi est deletio peccatorum nostrorum.

ὡς ἐξ τῶν ἀμαρτιῶν partic. ὑπὲρ duplici modo potest exponi. 1. Ut significet scopum vel finem, ut aliquis aliquid assequatur: Sic *Job. 6. 51.* pro mundi vita id est, ut vitam acquiram mundo *Eph. 3. 13. Job. 11. 4. &c.* 2. Ut positum sit pro ἀντι ac ita respondeat Ebreorum תחת: alterius vice & loco: an eius statt: Quam significationem procul dubio respexit B. Lutherus, reddens, *für unsere Sünde*. Et hæc significatio tum in veteri tum in novo testamento usitatissima. Vide *Gen. 30. 2. Prov. 11. 8. Philem v. 13. ἐμῶν* Nostri, ubi Apostolus indicat *Objectum* seu propter quos Christus mortuus sepultus & resurrexit: nimirum pro omnium hominum peccatis.

κατὰ τὰς γραφάς, secundum Scripturas אִיכֹנָא דְכַתְּוִיב
Sicut scriptum: Sic in N. T. hac phrasi citatur vetus T. non indicato loco, aut ejus parte: propterea quod scriptores S. in Sacris non alia Scripta quam Sacras literas citare soliti erant. Ita etiamnum hodierni judæi Sacras literas: Eas verò ita notas habebant, ut si modo unum aut alterum verbum indicassent, jam omnibus constaret unde desumptum, vel ubi contineretur: Respicit igitur apostolus ad Scripturas propheticas. V. T. Et alienè quidam, monente *Estio super b. l.* adscribunt huc ex Evangelijs & Epistola Petri 1. testimonia.

XI. Fuit

1011 XI

XI. Fuit autem Mors Christi pro nostris peccatis (referendum enim secundum scripturas non ad solam mortem Christi, sed ad totum illud, mortuus pro peccatis nostris) tū prædicta à Prophetis, tū depicta in Sacrificijs & typis: Prædicta fuit Es. 53. multis in locis Dan. 9. v. 26. Ubi v. 24. fructus hujus mortis additur. Depicta Sacrificijs per sanguinem hircorum & vitulorum Lev. 16. vers. 6. testante Apostolo ad Hebr. 9. 13. & aliis typis Gen. 22. v. 10. Num. 21. v. 9.

XII. Et hæcenus ita perlustravimus primum resurrectionis Christi antecedens nempe Mortem. Pluribus de ea agere nostri jam non est instituti. Adeat qui vult Dominum D. Gerb. venerand. nostrum præcept. in Harm. Passionis Cap. 17. c. 18. tom. 1. Giesb. d. 13. thesi 194. §. seqq. Dn. D. Zewerborn Fasc. 4. disp. 1.

XIII. Post mortem Apostolus Sepulturæ meminit; ut declararet veritatem mortis Christi & ex ea veritatem resurrectionis. Non enim sepelitur nisi verè mortuus.

XIV. Et hanc Sepulturam honorificam præstiterunt Christo Josephus Arimathæensis & Nicodemus in horto Calvaria vicino, qui corpus Christi aromatibus conditum & obvinctum linteis in monumento novo posuerunt, in quo per reliquum illius dici, & per Sabbathum magnum, usque ad mane primi Sabbathi quievit.

XV. Factum verò singulati divina providentia, ut Christus ab amicis Sepultus fuerit, non ab hostibus qui semivivum Sepulchro inferre non fuissent veriti, ut verè ipsum esse mortuum constaret: Nisi etiam Christus fuisset sepultus, potuissent Judæi ac gentiles prædicationi resurrectionis opponere quod discipuli ex cruce ipsum sustulerint & resurrectionem mentiantur: Vel quod semivivum è cruce sublatum iterum sanarint, sed cum publica accedat sepultura, mendacium illud jugulatum, anteq; natum est. Dn. D. Gerb. Harm. c. 19. p. 929.

XVI. Hic non additur secundum Scripturas, vel quia fides Sepulturæ Christi supposita morte non habet difficultatem nec ab infidelibus oppugnata fuit. Vel potest subsequens juxta Scripturas, quod resurrectioni adjunctum, huc referri.

B XVII. Siqui-

XVII. Siquidem hæc etiam facta secundum Scripturas & ex Scripturis facile est eam probare, Vid. *Es. 53. v. 9*

XIIX. Præmissis duobus necessariis antecedentibus tandem Apostolus Tertio *Resurrectionis* mentionem facit, Christum resurrexisse tertia die juxta Scripturas, suos Corinthios docens.

Εὐθύετα Syrus *DP* Gracæ excitatus. Notand: quod Vocab. reuiscitationis exponi possit tum Activè tum Passivè in resuscitatione enim est is qui resuscitat, & qui resuscitatur. Tribuitur vero Resurrectio nostro Salvatore modo duplici 1. *Proprio* quatenus notat illum gradum exaltationis ac glorificationis, quo Christus corpus suum sepulchro extulit: 2. *Improprio & metonymico* quatenus resurrectio, de Christo, dicitur tanquam auctore resurrectionis & vitæ tum corporalis tum spiritualis, & hæc posterior resurrectio, prima resurrectio, in Apocalypsi dicitur & de hac *Rom. c. 6.* agitur.

XIX. De Effectu sive fructu id hoc loco notandum, de fructibus resurrectionis Christi omnium rectissimè nos agere, quando mortem totamque ipsius obedientiam ab ea non dividimus, sed cum ea indivulsè complicamus. Quod Scriptura passim facit.

XX. Igitur verba illa *v. 3.* quod nimirum Christus sit mortuus pro peccatis nostris, non accipienda exclusivè quasi ab hoc beneficio resurrectio sit excludenda, sed pertinent illa verba ad totum opus nostræ redemptionis, à quo minimè resurrectio est excludenda.

XXI. Beneficia autem illa pertinent ad resurrectionem. 1. *Respectu manifestationis ac confirmationis*: In resurrectione, inquit Chrysol. *serm. 9. In Epist. Rom.* ostensum est, Christum non propter sua sed propter nostra peccata fuisse mortuum. Quomodo enim resurrexisset, si peccator fuisset? Si v. peccator non fuit propter alios crucifixus fuit. 2. *Respectu applicationis*: ideo enim Christus ex mortuis suscitatus, ut beneficia passione & morte parta nobis, per verbum & Sacramenta applicaret: si enim non resurrexisset, mortis victor non fuisset, ac ita justitiam tam caro pretio partam nobis applicare haud potuisset, ut Apostolus notanter dicit *Rom. 8. 34.* Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus, imò qui etiam

1. An Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus.

Antequam directè & categoricè ad quaesitum respondeam, placet statum controversiæ prius formare: Quando igitur quaeritur an Christus pro omnibus sit mortuus, non est quaestio 1. De omnibus illis qui credunt & salvantur: nec 2. An pro illis qui damnantur, mori potuisset. Nec 3. An mors Christi infinite sit valoris, ut singulis hominibus, si Deus vellet, sufficiens esse posset. Nec 4. An ob mortem Christi omnes aeterna luce potiantur. Nec 5. An Christus tam quoad sufficientiam quam quoad efficaciam *Autem* (pro applicatione accepta) pro damnatis mortuus sit. Sed an à Deo Christo omnia omnium hominum peccata imputata, & ipse pro omnibus pro meritis poenis justitiæ divinæ infinite mortis pretio ita satisfecerit, ut omnes homines divinæ gratiæ participes rursus per fidem in meritum Christi fieri possint, ut ita porro condemnationis causa sit non penes Deum sed penes homines, quod noluerint meritum Christi ipsis ordinatum recipere.

Controversiæ statum ita formato: Nos affirmativam tenemus. Contra Calviniani negant. Qui tamen multa verborum involucria quaerunt, & in statu quaestionis formando insidiosum sunt, ita ut prima fronte videantur planè idem nobiscum sentire: uti apparet ex *Belgis contra Remonstrant in collat. Hag. Pareo* in Irenico: *Αὐτὸς μὲν λαλῶσιν ἀνόμοιοι δὲ ὀρουῶσιν.* Quod ex iis qui quandam ingenuitatem præ se ferunt, & uti viris bonis convenit agunt apparet: Audi enim & quidem ex recentioribus *Wendelinum* qui sic ait: Sententia nostra est Christum non pro omnibus & singulis hominibus sed pro solis electis, qui olim crediderunt, tum credebant, vel deinceps per gratiam ejus credituri erant, mortuum esse, & divinæ satisfactionis justitiæ: Hæc *Wendelinus lib. 1. c. 17. tit. 5. p. 282.* in quibus secutus est *Bezam, Martyrem, Piscatorem*: Nonnulli verò, quia vident has locutiones esse duras & incommodas, retinent quidem mentem & corrigunt paulisper linguam, dicentes Christum pro omnibus satisfecisse sufficienter non verò efficaciter: sed

sed facum faciunt & idem cum prioribus sentiunt: siquidem non sufficientiam ex parte Christi nobiscum statuunt, ita ut Christus, quantum in ipso pro omnibus satisfecerit non tantum meriti valore sed ex Patris & sua voluntate intentione & amore: Verum tantum fingunt sufficientiam potentialem, ita ut satisfacere potuisset, licet nunquam satisfaceret, cum Deus in suo liberrimo (& juxta Calvinianos absoluto decreto) aliud statuerit: vide ipsos Calvinianos *Zanchium, Pareum, Ursinum, Bucanum, Polanum, Perkinsium, Chamierum*, & me vera dixisse deprehendes. Quos refutare h. nostri non est instituti: vide *Beat. Meisn. Anthropol. d. 13. Hutter. in Anti Pareo cap. 28. a. 1. Sigwart. lib. 3. c. 3. a. 1. contra Parei Inenicum*: Ubi plura aduersariorum testimonia adducta habebis. Nos hac vice nostram sententiam ex hoc loco probamus hoc argumento.

Quicumque sunt peccatores pro iis Christus est mortuus. Atque Omnes homines tam reprobis quam electi sunt peccatores. E. Major est ipsius Spiritus S. Siquidem Apostolus hoc loco non solum facit mentionem peccatorum, sed infra v. 22. Adamo & Christo quoad perditionem & restitutionem sibi oppositis, facit equalem objecti latitudinem.

Minor puto est manifesta vel ex Rom. 3. 23.

Excipient forsan 1. hoc loco non esse universalem sed particularem locutionem: *pro nobis*. 2. Intelligi vel credentes juxta *Piscatorem contra Schaffm. th. 65.* vel conventum Ecclesiae in caelis conscriptum juxta *Polanum Syntagm. lib. 6. c. 18 p. 188.* vel electos juxta plerosque.

Resp. Ad prius 1. Scriptura alibi explicat quos intelligat pro quibus Christus mortuus: *2. Cor. 5. 15.* pro omnibus mortuus est Christus *Ebr. 2. 9.* Pro omnibus gustavit mortem, non pro nostris. (peccatis) tantum sed etiam pro totius mundi. *1. Job. 2. 2.* 2. Paulus ipsemet se hoc capite explicat, quos intelligat, nim. *Omnes qui in Adamo moriuntur v. 22.*

Ad posterius dico: probandum esse vel credentes tantum vel ceterum Ecclesiae in caelis conscriptae intelligi. Apostolus enim scribit ad Corinthiacam Ecclesiam, in qua an non qui-

dam reprobi & damnati fuerint, quis negabit? qui modo Epistolas perlegerit: Et licet ex abundantia concedam hoc loco credentes intelligere Apostolum, nulla tamen esset consequentia; siquidem quod scriptura affirmat de electis, non negat de reprobis: Inclusio enim unius non statim esset exclusio alterius.

Notandæ tamen distinctiones quas nostrates tradunt, ubi docent, distinguendum esse. 1. Inter Voluntatem Dei Antecedentem & Consequentem. 2. Inter acquisitionem & applicationem. 3. Inter *δόσιν* sive oblationem & *λήψιν* sive acceptionem. Ratione 1. *Voluntatis Dei antecedentis*. 2. *acquisitionis*. 3. *δόσεως sive oblationis*, beneficium hoc ad omnes spectat, & in verbo Evangelij omnibus offertur: unde *Luc. 2. v. 10.* annunciatum omni populo, & *Iob. 1. 10. 1. Iob. 2. 2.* Christus mortuus dicitur pro peccatis totius mundi. Ratione *Applicationis v. & Receptionis* parta & oblata bona non recipiuntur ab omnibus hominibus, sed duntaxat a credentibus, qui proinde & soli ipso actu perfruuntur salutaribus illis beneficijs ac *παραπινῶς* cognoscunt virtutem Mortis Christi. *Phil. 3. 10.* Reliqui scilicet impœnitentes & increduli, ob præfractam ipsorum malitiam & propriam culpam, non ex absoluto decreto, fructus hos non percipiunt, & proinde Consequente sive judiciaria Dei Voluntate a participatione beneficiorum Christi & salutis æternæ excluduntur. Vid. Admodum Reverendus & Excell. Theologus Dn. Doct. Gerhard. Part. 2. disp. de Resurrect. th. 67.

2. An mors Christi perfecta satisfactio pro peccatis nostris, cum non fuerit æterna?

Photiniani ut facilius satisfactionem Christi infringere & suam planè impiam sententiam, aliquo modo confirmare possint. Sic argumentantur.

Si Christus pœnas, nostris peccatis debitas loco nostri sustinisset, tum mortem æternam vice nostri passus fuisset, quippe quæ est peccati pœna. *Rom. 6. 23.*

At Christus mortem æternam vice nostri non est passus, resurrexit enim ex mortuis, E.

Resp.

Resp. Nulla consequentia; Distinguendum enim inter mortem ipsam & perpetuam mortis durationem, sive inter pœnæ quidditatem, & ejus adjunctam perpetuam durationem: illam vice nostri sustinuit, non hanc: quia fuit & est æternus Deus: & sicuti nostra *ἐνομιία*, quoad durationem finita, infinitam pœnam promerita, ratione nimirum Objecti videlicet infinitæ majestatis divinæ, contra quam est commissa. Ita Christi *ἐνομιία* obedientiaq; vitæ humilis, & mors innocentissima, quoad temporis durationem finita ab infinita pœna nos absolvit: Quam infinitam virtutem ad perfectam satisfactionem necessariam, obtinet mors ratione Subjecti sive personæ, quæ est *Ἰεσούχριστος* & non nudus duntaxat homo. Concludimus itaque verbis Augustini *serm. 138. de temp.* Uni mors data est, ut omnibus tolleretur. Cumq; mors nostra sit peccati pœna, ideò mors Christi facta est pro peccatis.

3. *Si Christus mortuus pro nobis cur & nobis moriendum?*

Resp. Mors quam Christus pro nobis est passus habuit conjunctam maledictionem *Gal. 3. 13.* à qua nos Christus redemit. At mors temporalis piorum non est amplius execrabilis, sed benedicta & beata, *Apoc. 14. 13.* Et est transitus ad vitam *Job. 5. 24.* Hinc est quod Paulus cupit dissolvi & esse cum Christo *Phil. 1. 23. Rom. 8. 23.* Evacuavit quidem Christus per mortem suam vim mortis, sed certo ordine in resurrectione mortuorum tandem illa Tyrannis in solidum desæviet, & omnis corruptio ac mortalitas è corporibus penitus auferetur. Vid. *Dn. D. Gerbard. & D. Feurb. l. d.*

4. *An Corpus Christi verè mortuum & tamen à putrefactione fuerit immune?*

Damascenus l. 3. Orth. fid. cap. 13. Geminam facit corruptionem: Unam per separationem formæ viventis: Alteram per resolutionem in cineres seu elementa, quam *διάλυσιν καὶ ἀφασμάων* vocat. Priori modo corruptionem corpori Christi
ad-

adscribit. Posteriori verò denegat. Nos si Scripturæ ductum sequimur, invenimus in Christi corpore corruptionem non habere locum, propter purissimam ad λόγος unionem: juxta Ivaticinium. *Ps. 16. 10. non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: Hinc Scholastici statuunt, quod si corpus Christi vel maxime plures dies in sepulcro permansisset, nequaquam tamen putrefactioni obnoxium fuisse: Si enim corpus ejus fuisset putrefactum, inquit *Thomas p. 3. q. 51. a. 3. ad unum*: vel resolutum, magis hoc fuisset in detrimentum salutis humanæ: dum non crederetur in eo virtus divina. Non assunt, inquit alij, Christus propria corporis mortui, quia nihil mereri nobis potuisset. Graviter E. hallucinatur *Beza*, incorruptibilitatem hanc non attendens, corpus Christi mortuum, cadaver appellans: Et *Cureus* qui sanguinem computruisse scribere non veretur: Vid. *Excell. Dn. Doct. Gerh. Harm. passionis cap. 17. p. 828. Part. 2. disp. de resurr. B. Meisn. Christol. d. 39. b. 11. Broehm. Sect. 13. p. 913.*

5. *An, resurrectionis veritas ex ratione, an verò ex Scriptura probanda.*

Photiniano vel Calviniano si quæstionem hanc proponas, is statuet nihil esse credendum quod rationi adverteretur, ac proinde fidei articulis rationi humanæ judicium committendum vid. *Alsted. in præcogn. Theol. 1. 2. p. 53. in Theol. natur. part. 1. pag. 4.* Nihil recipiendum in rebus ad salutem & religionem pertinentibus, quod rationi sit contrarium ait *Smalz. contra D. Franz. p. 137.* Vid. *Dn. Doct. Gerh. Part. 2. disp. harmon. Calvin. & Photin. d. 3. th 5.* Imò Calviniani in subsidium suæ sententiæ artic. resurrectionis & quidem in specie hoc *cap. 15.* adducunt Vid. *Dn. D. Wellerus d. 4. in part. 1. Anat. Masson. th. 17.* Sed longè aliud nos docet Scriptura, dum docet 1. homini Philosopho ridiculam esse *Act. 17. 18. 20. cap. 26. 24. 2.* Absurdam esse rationi, quod patet exemplo Thomæ Apostoli *Joh. 20. 25.* duorum disciplinorum *Luc. 24.* Qui etsi noverunt Christum prædixisse tertio die se resurrecturum, etsi jam Angelus etiam de

de ea testatus, et si Apostoli se vidisse non solum sepulchrum, sed
& Thomæ ipsum Dominum annunciabant: tamen quia ratio-
nis & sensuum iudicium verbo seposito sequuntur, errantes
palpant, sicut cæcus in clara meridie, & ita in tenebras incre-
dulitatis incidunt. Docet *3. Ebr. 11. v. 1.* quod ea quæ spiritualiter
creduntur, naturaliter non sciuntur: vid. Admodum Reve-
rendus atq; Excell. *Dn. D. Jacob. Martin. Præceptor & Promotor
æque honorandus in partit. Theol. disput. 39. th. 15.* Improbanda
itaq; est eorum sententia, qui ex lumine rationis humanæ, in
suis naturalibus viribus relicta, nituntur nos certos facere de
resurrectione tum Christi tum nostra. Non negatur quidem
nonnullos Patres hoc in negotio argumenta ex ratione petita
adhibuisse: sed an illa nos reddant *certos* hoc nego: Di-
stinguendum verò hoc loco est inter hominem prorsus infide-
lem extraq; Ecclesiam constitutum, qui nil de Christianorum
fide audivit: & inter eum, qui intra Ecclesiam est, & sive fidem
justificantem, sive tantum historicam ex lectione vel auditione
accepit: ille ex sese, & ex sua ratione resurrectionem
tum Christi tum nostram nunquam cognoscere potest. Hic
verò postquam ex verbo Dei hoc addidicit, deinde ex natura
potest suo modo declarare, illustrare, quod & Paulus hoc in
cap. 15. 1. Cor. facit.

Concludamus hanc quæstionem verbis *Thomæ part. 1. q. 1.
art. 5. ad secundum.* Hæc scientia accipere aliquid potest ex
Philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate iis indigeat,
sed ad maiorem manifestationem eorum, quæ in hac scientia
traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis
tanquam à superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus &
ancillis: Sicut architectonica utuntur subministrantibus, ut ci-
vilis militari: Et hoc ipsum quod utitur eis non propter de-
fectum vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intelle-
ctus nostri: qui ex his quæ per naturalem rationem (ex qua pro-
cedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in
ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur:
hætenus Thomas: plura adhuc pertinentia: vid. ap. *Dn. D. Gerh.*

C

in

*in Exeg. Loc. 1. §. 474. Part. 1. disp. de gloria Dei. d. 10. th. 13.
D. Menzer. Tom. 7. Gieß. Tummium Photinianismi p. 147. Feurb. Fasc.
4. d. 2. th. 7. seqq.*

*6. An humana Christi natura sit causa Efficiens
sua Resurrectionis?*

Afferimus Humanam Christi naturam à potentia & virtute resuscitatrice neq; debere neq; posse excludi: Hic v. Calvinianos, Christo secundum humanam naturam personaliter communicatam divinam virtutem denegantes, contradicentes habemus, ut postea in erroribus dicetur. Probanda igitur hoc loco nostra thesis: quod facimus & probamus. 1. Ex arctissima divinæ & humanæ naturæ personali unione, ex indeq; resultante idiomatum communicatione. Et huc pertinet quod *Thomas q. 53. a. 4. in corpore*, dicit: per mortem non fuit separata divinitas nec ab anima Christi, nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam ejus caro considerari dupliciter: Uno modo ratione divinitatis: Alio modo ratione ipsius naturæ creatæ. Secundum igitur unitæ divinitatis virtutem, & corpus resumit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumit quod dimiserat: & sic Christus propria virtute resurrexit: hoc est quod de Christo dicitur *2. Cor. ult.* quod etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute. Si autem consideremus corpus & animam Christi mortui secundum virtutem naturæ creatæ, sic nō potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo: hæc *Thomas*. 2. Ex Christi assertione *Job. 10. 17. Potestatem habeo ponendi animam, hoc est vitam, & eam iterum sumendi.* Quæ potestas Christo secundum Deitatem competit essentialiter, secundum humanitatem communicata est personaliter: *Augustinus*, exponens hoc dictum, inquit, cum Christus sit verbum, anima & caro, utrum ex eo quod est verbum, ponat animam, an ex eo quod est anima, an iterum ex eo quod est caro. Et dicit: quod si dixerimus, quod verbum Dei animam posuit, sequitur quod aliquando anima illa separata est à verbo, quod est falsum: mors enim corpus ab anima separavit, à verbo autem animam separatam esse non dico.

dico. Si verò dixerimus, quod ipsa se anima ponat, sequitur quod anima ipsa à se separata sit: quod est absurdum. Relinquitur ergo quod ipsa caro animam suam ponit, & iterum eam sumit, non potestate sua, sed potestate verbi inhabitantis carnem: hæc Augustinus *Tract. 47. in Johan. citante Thoma. p. 3. q. 50. a. 3. ad Imum. Vid. D. Gerhard. disp. de Resurr. sepius laudata th. 27.*

7. An Resurrectio Christi sit meritoria?

Resp. Distinguendo: Nomen meriti dupliciter accipitur. 1. *Generaliter* pro omni eo, quod ad nostram justificationem pertinet. 2. *Specialiter* pro eo quod Christus patiendo cum primis nostro loco præstitit, & nos præstare tenebamur. Priori sensu dici potest meritoria, pertinet enim ad nostram justificationem, respectu declarationis, applicationis & actualis à peccato absolutionis. Posteriori verò non dicitur meritoria, obedientiæ n. tum activæ tum passivæ in morte plenè erat pro pœnis nostris satisfactum, nec ulla ad pretij illius complementum necessaria erat accessio: Vid. *th. 21.*

8. Quomodo dies à morte usq; ad Resurrectionem Christi computandi!

Antequam Respondeam, notandū judæos dies civiles observasse, respicientes ad historiā creationis, à vespera præcedentis diei incipientes & in vesperâ sequentis diei finientes. Hoc præsupposito computatio ita est instituenda. Die parasceves, cum Christus in Sepulchrum positus, ferme tres horæ de die super fuere ante solis occasum. Circa horam enim nonam exspiravit in cruce *Math. 27. 46. 50. Paulo post ὀψίας γενομένης Marc. 15. 42. cum adhuc duraret parasceves dies. Luc. 23. 54. corpus Christi de cruce sublatum in sepulchrum positū est: & hæc est dies prima, juxta judæos: Postea per integrum Sabbatum in sepulchro quievit facto computationis initio, itidem à vespera diei præcedentis*

Et hæc est altera dies. Vespere Sabbathi fit initium diei tertij, in quo quievit Christus in sepulchro usque ad auroram & tunc gloriosè ex mortuis die tertia resurrexit? Non igitur totos integros dies. Saluator noster in sepulchro fuit, sed per unum solummodo integrum & duorum dierum partes. Hinc uti dictum, tempus resurrectionis, vel ἐμφανισῶς juxta nonnullos, vel ἀναστάσεως est intelligendum.

9. Quo tempore Saluator à morte resurrexit?

Variè in hac quæstione se torquent Patres, quidam statuunt Christum post mediam noctem, quidam circa solis ortum resurrexisse; quæ sententia reliquis præferenda, ut potest cum relatione Evangelistarum optime consentiens. Diserta enim verba *Marc. 16. 9.* Surgens autem manè prima sabbathi, (ita construenda verba & πρῶτη non ad ἐμφανισῶς referendum, contra interpunctionem, & initium Marcæ) apparuit primò Mariæ Magdalena: Vnicus huic sententiæ videtur obstare locus, omnium interpretum sententia difficillimus, ap. Math. 28. 1. ubi dicitur Ὁψὲ δὲ σαββάτων, quæ lucefcit in prima Sabbathi, venit Mar. Magd. in quibus verbis videtur, mulieres Vespere Sabbathi ad sepulchrum venisse, & ita resurrectionem Domini ante mediam noctem factam esse: ut Mathæus non solum communi sententiæ, sed etiam Marco, Luca & Johanni contradicere videatur. Variè à varijs nodus hic solvitur, uti docetur apud Dn. Doct. Gerhar. cap. 1. pag. 25. 26. *Harum Resurr.* Sed tutissima & simplicissima est solutio si Ὁψὲ σαββάτων, quæ verba litis sunt materia, reddas cum Gregorio Nysseno lingua & natione Græco, extremo sabbathi, sive transacto jam sabbatho: Ὁψὲ enim interdum idem esse quod ἐν ὄσπερ in extremo, & tum cum genitivo construi docent Græci. Ut ita Mathæus primum harum muliercularum ad sepulcrum egressum descripserit hoc sensu, Cum Sabbathum magnum præterisset & circa vesperam prima Sabbathorum sive feria prima, ἀνε-

2 vespere incipiens, succederet, venerunt duæ illæ Mariæ ad vi-
dendum sepulchrum: Syriaca paraphrasis ita habet:

בשבת בראשונה בשבתה דין ברשע vespere autem
in Sabbatho, cujus, vespere, lux prima est is septimana. Et sic
Matthæus & Marcus diversis verbis idem denotant tempus.
Matthæus dicit, vespere cum qua, exacto Sabbatho magno, il-
lucescit seu incipit primus septimanæ dies mulieres ad sepul-
chrum exiisse: Marcus verò reliquas mulieres aromata sua pa-
rasse, ut omnes conjunctim postea ad unguendum Christum exi-
rent. Mantissa loco & hoc annecto: Neque à Johanne Mar-
co contradici, quando Johannes dicit mulieres venisse ad mo-
numentum *ταῖς σκοτίας ἐπι ἔσσης*, cum adhuc tenebræ essent
cap. 20. 1. Marcus verò *λίαν ὡροῖ* valdè manè c. 16. 2. Lucas
ἀφ' ἔσσης βαθεῖος cap. 24. 1. Valdè diluculo. Johannis enim ver-
ba intelligenda de termino à quo illius temporis, ut ita verbum
venire egressionis actum notet, unde etiam tempus præsens
positum: Marci verò verba notant terminum ad quem, hoc
sensu, quod muliere, tota nocte in parandis aromatibus occu-
pata, præ desiderio unguendi Christum summo manè cum ad-
huc tenebræ essent, civitatem egressæ fuerint (tempore enim
pacis Hierosolyma nocte & interdiu patebat) & orto jam solè,
hoc est cū ortui proximus esset: (participium præsens pro pau-
lo post futuro,) ad sepulchrum venisse. Et huc possunt etiam ad-
di verba *Thomæ quest. 51. a. 4. ad secundum* ubi excusat Gre-
gorium dicentem Christum mediâ nocte resurrexisse: *Christus
in diluculo surrexit, in quo aliquid lucis apparet, & adhuc ta-
men aliquid remanet tenebrarum noctis: & paulò post, illud
diluculum, pars noctis & pars diei dici potest propter conve-
nientiam quàm cum utroque habet.* Plura hæc de re videantur
apud Dn. Doct. Gerh. l. c. D. Broehm. Tom. 1. System. Theol.
art. 151. sect. 15. q. 3. p. 929. à quibus me hæc accepisse grato fa-
teor animo.

10. *Cur Christus tertia die resurrexit?*

Resp. 1. Ob vaticinij *Ose. 6. 2. typi Jonæ 2. 1. Matth. 12. 40.*
implerionem. 2. Ad veræ suæ mortis ostensionem, quod enim

non statim resurrexit immote colligitur ipsum verè mortuum esse. Ad veritatem autem mortis manifestandam sufficiebat, quod usque ad tertium diem ejus resurrectio differretur: ut autem confirmaretur fides de veritate divinitatis ipsius, oportuit quod citò resurgeret, ut ejus resurrectio non differretur, usque ad finem mundi. Allegoriam nonnulli addunt: ostenditur, inquit *Thom. part. 3. q. 35. a. 2. in corpore.* mysterium quod Christus unà sua morte corporali quæ fuit lux propter justitiam, duas nostras mortes destruxit, scil. corporis & animæ: quæ sunt tenebræ propter peccatum. Et ideo die integra & duabus noctibus permansit in morte, ut August. dicit *in 4. de Trin.*

II. Quomodo ex Christi Resurrectione nostræ Resurrectio dependeat?

Thomas part. tertia q. 56. art. 1. dependentiam nostræ resurrectionis ex Christi resurrectione, argumentis ex Philosophia sumtis probat. Sed quia hoc non tam à Natura quam ex Scriptura sumendum, meritò hic potius Scripturam quam Naturam audimus. Quum ea quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possint, nisi quatenus in Sacra Scriptura tradantur, per quam divina voluntas nobis innotescit uti ipsemet *Thomas part. 3. q. 1. a. 3. corp. docet.* Multas verò in Scriptura rationes habemus, quarum præcipuas adduxisse sufficiat. I. Sumimus ab *Effectu Resurrectionis Christi*: sua enim resurrectione nostram resurrectionem sanctificavit: quod Apostolus docet, quando Christum primitias dormientium nominat *1. Cor. 15. 20.* ubi respicit ad *Lev. 23. 10.* Sicut enim post oblationem primitiarum altera feriâ paschatis factam, plena statim messis sequebatur; sic Christus primitiæ dormientium factus eadem feriâ, nobis effecit, ut plena messis, hoc est universalis resurrectio credentium ad vitam æternam in die novissimo sequatur: Quemadmodum, inquit *Theoph. in cap. 1. Coloss. uno manipulo veluti primitijs oblato tota messis benedicatur, sic per ipsum omnes sanctificati sumus, &*
obla.

oblatis : unoq; corpore resurgente, universa natura digna est resurre-
 ctione iudicata. 2. ex Opposito 1. Cor. 15. 21. 22. ut Adamus est fons
 & origo mortis ; sic Christus vitæ. 3. Ex capitis & membro-
 rum nexu : Quia enim Christus resurrexit, qui caput nostrum,
 & nos quoque ipsius membra resurgemus. *Eph. 1. 20. seqq.*
 4. Ex absolutissimâ redemptionis perfectione. Non tantum enim
 Christus animam, sed etiam corpus quod morti obnoxium, re-
 demit & liberavit. 5. Ex plenario Christi dominio. *Rom. 14. 9.*
 Quod si Christus ex mortuis resuscitatus est Rex æternus, utique
 ejus subditi fideles non perpetuò in morte manebunt. 6. de-
 niq; ex eorum qui Christo resurgente resurr exere exemplo. *Matth.*
27. 52. qui nostræ resurrectionis obsides sunt, uti illos *Theodor.*
in comm. 1. Cor. 15. vocat. Monumentorum reseratio quid aliud
 nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum ?
 erant enim mortis claustra reserata, ait *Hilarius in c. 27. Matth.*
 Antequam finiamus quæstionem duo, notamus : 1. in hac quæ-
 stione agi potissimū de fidelium & piorū resurrectione 2. Si uni-
 versalis omnium hominū resurrectio ex Christi resurrectione
 deducenda; Christum in suo officio dupliciter considerandum. 1.
 Ut Salvatorem corporis mystici. 2. ut Judicem generis humani univer-
 si. Priori respecta fidelium & piorum duntaxat resurrectio
 ex Christi resurrectione deducitur. Posteriori verò omnium
 hominum, ut apparet ex *Iob. 5. 27. 28. Act. 17. 30. 31.* Vid. Ad-
 modum Reverendus arq; Excell. Dn. Doct. Gerb. de Resurrect.
Mortuorum Tom. 8. S. 18.

Orthodoxia Confirmatio.

Patescit hinc.

1. Mortis Christi & resurrectionis veritas.
2. Peccatorum nostrorum deletio, & vera atque sufficien-
tissima pro ijs Christi satisfactio.
3. Christi *ἱεραρχία* & infinita gloria & potentia.

4. Scri-

4. Scripturæ S. & vaticiniorum auctoritas & veritas.
5. Nostræ Resurrectionis certitudo.

Textus Vindicatio.

Socinus de Servatore part. 4. c. 10. argumentis nostratium respondens, quibus probant obiectum fidei justificans esse tum gratuitum Dei favorem tum obedientiam Christi & activam & passivam ubi præter alia plura etiã hunc locum. *1. Cor. 15. 2. 3. 4.* adducunt: ad illum ita respondet: hoc loco non de morte sed de resurrectione Christi loqui Apost. ill. usq; propter hanc mentionem facere: neque hanc esse fidem, quã verè coram Deo justificemur: Sed Resp. 1. Resurrectio non excludit mortem, quod expressis verbis Paulus *Rom. 4. 25.* docet. 2. ipse textus contrarium demonstrat. *v. 1.* dicit. *Notum vobis, &c. quod & accepistis, (nempe fide) in quo (Evangelio fide apprehenso) statis, & per quod (acceptum scil. fide) & salutem consequimini.* Quoddam verò illud Evangelium, quod fide accipiendum, in quo standum, per quod salutem consequimur, sit, docetur *v. 3. & 4.* Mera itaque & nuda est hæc textus depravatio: *Vid. D. Thum. p. m. in Photinianism. artic. de fide p. 396. 397.*

Contradictionis Conciliatio.

Paulus hic *vers. 4.* dicit Christum tertia die, am dritten tage / resurrexisse. *Matthæus 27 63. & Marc. 8. 31.* Videntur contradicere Apostolo & sibi metipsis, dum dicunt Christum resurrexisse *μετὰ τρεῖς ἡμέρας*, nach dreien tagen. Sed nulla hic erit contradictio, si *μετὰ* juxta plerosque non per post, sed per intra exponatur. Quæ significatio particula *μετὰ* in Scriptura S. non est infrequens. Sic *Luc. 2. 46.* dicuntur parentes Christum invenisse *μετ' ἡμέρας τρεῖς*, hoc est ipso tertio die, non post tertium diem, uti contextus docet: nam *v. 44.* iter diei numeratur, *v. 45:* rursus dies est consumptus *v. 46.* tertio die

die demum ipsum invenerunt: Sic Lucas dicit Sacram cœnam esse institutam *μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι* quod omninò vertendum inter cœnandum, uti patet ex *Matth. 26. 26. & Marc. 14. 22.* Ubi dicitur ἐθρόντων αὐτῶν cœnantibus illis. Nec etiam ipsi Pharisæi aliter Christi de resurrectione verba intellexerunt, uti patet ex *v. 64. c. 27. Matth.*

Scharpius conciliationem quærit ex particula Ebræa \beth Cui particulae quidem propriè Græcorum *ἐν* respondet: Interdum tamen etiam *μετὰ* post, ita ut aliquando res non post tempus exactum, sed intra ipsum geri dicatur, quod probat ex *Levit. 12. 6.* aliquando etiam ita sumi, ut tempus præteritum excludatur, quod probat ex *Deut. 4. 46. c. 9. 4.* Et putat, non mirum esse cum Apostoli Hebræi scriberent græcè, si præpositionem \beth nonnunquam per *ἐν* & per *μετὰ* expresserint, eodem tamen sensu. Vid. *Scharpius Symphon. Prophet. & Apostol. p. 321.*

Hæreseos confutatio!

Patescit ex dictis errare.

I. Ebionitas, Arrianos, Judæos, Turcas & Photinianos
Deitatem Christi negantes.

II. Valentinianos, Marcionitas, Manichæos
humanitatem Christi negantes.

III. Gentiles Act. 17. 32. judæos, Cerinthum, Manichæos,
resurrectionem negantes.

IV. Pontificios. 1. Meritoriam Dominica resurrectionis
esse antegressam passionem statuentes:

2. *Partem aliquam sanguinis Christi adhuc inter reliquias monstrantes.*

D

V. Cal.

V. Calvinianos. 1. Zwinglium quosdam Ethnicos (qui non tenebantur credere) Salvando.

2. Christum non pro omnibus & singulis hominibus, sed pro electis mortuum esse docendo.

3. Sufficientiam quandam cum possibilitate sine efficacia in Christi morte fingendo.

4. Non teneri omnes credere Christum pro sese esse mortuum statuendo.

5. Tantum humanam naturam mortuam asserendo.

6. Bezam, corpus Christi cadaver appellando.

7. Humanam naturam à causa Efficiente Resurrectionis excludendo.

8. Passione pro merito resurrectionem Christi cum pontificiis credendo.

VI. Photinianos. 1. Satisfactoriam mortis Christi efficaciam & εὐσπυσιαν negantes.

2. Ut & Christum nostri loco suo Patri satis fecisse.

3. Christum in resurrectione magis quam in morte nobis salutem meruisse.

4. Objectum fidei justificantis Christi mortem pro peccatis nostris esse negantes.

5. Propria Virtute Christum resurrexisse non concedentes.

Aphorismi Practici.

1. Cogita & probe considera fidelis anima summam charitatem sponsi tui ipsiusq; Patris coelestis: Hic te tanto persequutus amore, ut filium suum unigenitium pro tua salute daret. Johan. 3. 16. Rom. 5. 8. Illius verò tantus fuit

amor

amor, ut tuus causa mortem ignominiosissimam passus fuerit.

2. Quod si igitur te lex ob peccatum accuset & ira Dei terreat, aut mors & Diabolus, tunc memor esto mortis Christi qua plena pro peccatis tuis satisfactio, qua pretium Deo Patri solutum.

3. Considera quoque anima Christum, ideo peccata tua percussisse, ut peccatis mortua, justitiae vivas. 1. Pet. 2. 24. Ergo vel hinc peccata detestandi causam habes maximam.

4. En gaudium magnum Anima mea! in morte Christi vita est. Is enim per mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium id est Diabolum, & liberos reddidit eos, quicumque mortis metu per omnem vitam obnoxij erant servituti. Ebr. 2. 14.

5. Insulta igitur morti, & dic. : ubi tuus mors aculeus, ubi tua inferne victoria? 1. Cor. 15. 55.

5. Quid fidelis anima trepidas ad sepulchrum in quo servator tuus, & sponsus tuus Jesus Christus corpore suo delitescere, non recusavit, atque ita consecravit in cubile & dormitorium, in quo inter brachia illius dormias & quiescas in spe beatæ gloriae & resurrectionis?

6. Nullo non tempore etiam optabis condi sepulchro, si considerabis te quam diu in hoc mundo vivis, peccatis, & multis calamitatibus, obnoxiam esse, sic enim tandem à peccato & omnibus malis libera & tuta eris.

7. Interim verò o homo indies emoriare peccato, ut tandem peccatum penitus sepeliatur.

8. Sepultura etiam Christi tibi hoc promeruit, quod tibi peccata in aeternum non imputentur, in sepulchrum enim ea sponsus tuus secum tulit, eaque sepelivit.

9. *Gaudium magnum anima mea, Christus resurrexit & tu resurges quoque? Tam arcta est connexio inter te & caput tuum, ut unum, ab altero divelli non possit, in morte & vita: idcirco si es o homo in Christo mortuus peccatis, in Christo etiam resurges ad salutem.*

10. *In summis tuis tentationibus, Christi & tuam resurrectionem instar anchorae apprehende, & cum Jobo dic, scio quod Redemptor meus vivit. &c. Job. 19. 25. Ob id etiam tuus sponsus se Joh. 11. vocavit Resurrectionem, ut in ipso tuae resurrectionis spem & solatium habeas firmissimum, quod nimirum ubi ipse est & tu futurus sis. Joh. 17..*

11. *Expectent itaque & exoptent filij hujus seculi vite hujus felicitatem vanam & instabilem. Tu vero fidelis anima in hujus vite prosperitate acquiescere noli, sed alterius vite aeternam felicitatem, in qua finis omnium malorum & dolorum cum desiderio expecta.*

Typica & Allegorica illustratio.

Tantum aliquos & quidem potiores enumerabimus. Typus resurrectionis Christi tertia die facta, fuit 1. Isaacus (quem ut typum Epistola Ebr. 11. 19. adducit) qui in tertium diem usque cum Parente abit ad montem jussu Dei sacrificandus, ubi per triduum illud in oculis Patris ac suis velut mortuus fuit, sed tertio die vivificatur, cum aries ipsius loco immolatur: Gen. 22. 24. Sic Christus Vid. Admodum Reverendus Dn. Gerh. Harm. resurr. c. 7.

2. *Josephus qui in tertium usque annum in carcere detentus fuit, postea*

postea tandem liberatus, & Dominus totius Ægypti factus,
Gen. 41. 1. Sic Christus.

3. Jonas qui tribus diebus ac noctibus fuit in ventre bale-
nae Jon. 2. 1. quem typum ipse Christus Matth. 12. & 16. ut ty-
pum allegat.

4. Daniel in foveam Leonum projectus, lapis sigillo obfi-
gnatus, sed tamen ex inde primo diluculo rursus liberatus &c.
Sic Christus, Vid. Excell. Dn. Doct. Gerh. Harm. pass. cap.
19. p. 94f.

5. Samson, media nocte surgens & portas urbis Gaza in
qua conclusus tenebatur, apprehendens, ad montem secum
portans. Jud. 16. 3. Sic Christus.

6. David cum Philistæo Goliatho congregiens, & victor
ex duello, cum totius populi Israëlitici commodo rediens. 1.
Sam. 17. 49. Sic Christus.

7. Sic typus Christi fuit resurgentis manipulus Spica-
rum, qui altero die Sabbathi coram Domino elevatus ac
motus, atq; primitiæ messis erat. Lev. 23. 10. Sic Christus
primitiæ dormientium 1. Cor. 15. 20. Et tot hoc loco enume-
rasse typos sufficiat: integrum qui desiderat catalogum,
adeat, Admodum Rev. Dn. Doct. Gerh. in Harm. resurr.
6. 7. p. 212. seqq.

Allegoriæ.

Primi nostri Parentes lapsi post meridiem censentur
pari ratione etiam Christus mortuus est post meridiem, ut
mortem per peccatum nostrorum Parentum introductam
aboleret.

D 3

Uti

Uti Jonas in mare perjectus sedavit tempestates maris,
Sic Christus in cruce mortuus & in sepulchrum positus, tempe-
states in a divina ob nostra peccata sedavit.

Cum Christus Sabbathum ageret in sepulchro, Pater ipsius
sepulchrum fecit gloriosissimū: Sic si & à nostris malis & in-
natis operibus cessaverimus, ac spirituale sabbathum egeri-
mus. Et. 58. 13. etiam in nobis salutaria & gloriosa operabi-
tur, Deus.

Obsignatio sepulchri Domini mysticè denotat
peccatorum obsignationem Dan. 9. 24. Sicut enim litera ob-
signata non possunt legi, sic morte Christi deletum est. Chiro-
graphum, quod peccatorum nostrorum nos convincebat Col. 2.
14. Indicata est etiam ista obsignatione Prophetia V. T. Com-
pletio & finis sicut id Danielis c. 9. v. 24. clare indicatur.

Christus per tres dies fuit in sepulchro: sic & primus
noster dies est in labore: Secunda est in requie. Tertius est in
resurrectione, Bernhar.

Nocte CHRISTUS natus, nocte captus sole ob-
tenebrato mortuus: Sed illucescente die resurrexit, ut
ostenderet, quod gloriosa sua resurrectione tenebras peccatorū
fugarit, & eternam lucem justitie nobis reduxerit.

Quod in Christi resurrectione Angeli lapidem revol-
vunt, & sepulchro adstant, eò proponitur nobis speculum no-
stra resurrectionis: tunc enim Angeli cœlitus ad congregandos
electos mittentur, & lapides sepulchrales removebuntur, &
corpora Sanctorum prodibunt splendoribus amula solis, ac in
cœlestem patriam, ubi gaudium æternum, abibunt.

Ac tantum pro ingenioli tenuitate de hoc dicto Apostoli-
co dixisse sufficiat.

147



Ad Magni nominis Parentis Filium

M. ENOCH HIMELIUM

de Resurrectione disputaturum,

Est Patris *Himmelij* repleta *Ecclesia* libris,
Est *Polus* impletus, quos docuit, populis.
Alter ut *Himmelius* fias, Patremq; sequaris.
Et repleas eadem voce manūq;, precor.
Quin nunc ostendis te hūc tendere, Gratulor ergo
Hos *Tibi* profectus, te genuisse *Patri*.

*Jacobus Weller SS. Theol. D.
& Prof. Extraord.*



M. E. K. O. G. H. I. J. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. W. X. Y. Z.

1. Einleitung

2. Hauptteil

3. Schluss



05 A 773


ULB Halle 3
003 767 06X



sd







כעה 27.
Disputatio Theologica
De
RESURRECTIONE
JESU CHRISTI EJUSQUE
Antecedentibus ex dicto Pau-
lino I. Cor. 15. v. 3. & 4.

Quam
Divinâ adjuvante gratiâ
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Admodum Reverendi, Amplissimi, Clarissimi atq;
Excellentissimi
DN. WILHELMI LYSERI,
SS. Theol. Doct. & Professoris Publ. Alumnorum
Electoralium Ephori, Dn. Patroni, Præceptoris & Pro-
motoris sui omni animi submissione æta-
tèm colendi.

placido Examini subjicit
M. ENOCH HIMMEL.

d. 5. Maj. horis pomeridianis.
In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ
Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDCXXXVI.